

Fartura.

I Pompeis non procul a lupanari inscriptum est muro CIL. IV 1698 *gemma velim fieri hora non(a)*. in quo *gemmam* accusativum interpretatur editor sollertissimus per errorem opinor. nam illi similia amantium vota permulta leguntur, ut in scolio Attico εἶθ' ἄπυρον καλὸν γενοίμην μέγα χρυσίον καὶ με καλὴ γυνὴ φοροίη καθαρὸν θεμένη νόον vel in APal. εἶθε ῥόδον γενοίμην ut decerptum amica niveo pectori adprimeret. poeta nobili non indigna est ista penthemimeris. sed quod adhaeret ei *hora nona* cum decentius est tot aliis quibus parietes Pompeianos Scordopordonici obleverunt verbis, tum hoc ipso minus clarum. cenae ea hora est, cenam si cogitavit scriptor, potioriam gemmam intellegi oportet (*nec bibat e gemma divite nostra sitis Propertius*), non anulum inaurisve aut ornamentum muliebre. aliorum autem accipies, si ab ea ipsa hora *nonarias* vocatas esse meminēris metreticulas vilissimas. *aureus est Danae* lusit aliquis Pompeis παραμῆσας Ovidium (acta inst. arch. Rom. 1889 p. 122).

II Conviva libertinus in Petronii sat. 45 *ut amphitheatrum videat* id est ut spectatores ibi videant. *ampliteatur* codex, unde *amphitheater* Friedlaender et ego restituimus. cui tum similiter quidem declinata vocabula adscripsi ut *arater* et *aster*, oblitus tamen eram eius ipsius nominis iam prodiisse exempla. nam *populo spectante amphitheater ruit* et *hoc imp. amphitheater arsit* scriptum habent chronica anni 354 (MGH. antiquiss. IX p. 145, 21 et 147, 16). accessit interim epigraphicum quoque exemplum ex reliquiis edictorum praef. urb. scriptorum post a. 354 quas Gatti in actis arch. municip. Romae 1891 composuit, ubi cum vici urbis

aut vicani referantur, *amphiteater* in *A g* 1 legitur item ut in Petronio aspiratione destitutum particulae posterioris. edicta ista quoniam tetigi, unum aliquid addam de his qui in *A b* 10 Caelimontiensibus Isiaticis monetariis aliisque subiuncti sunt *Noenses de ara Matidie*. de voce quid erat cur dubitaretur? sunt hi *Novenses*, quoniam *v* inter vocales saepissime negligitur (*faor faila* sim.), de re autem situs urbani peritiores videant an possint esse Novae viae quidam inter Caelium et Palatinum accolae regioni III adtributi seorsum, cum summatim in XII viam eandem posuerit auctor regionum antiquus.

III In museo provinciali Bonnensi tabella marmorea extat ex Romano columbario asportata ab amatore antiquitatis peregrinato in Italia, sic inscripta (Hettner catal. mus. acad. p. 46):
Q. Sext[ilius] *Eros* | *mor ollas II* | [*C. Norba*]no *C. l. Dionysio* | [*amico*] suo et | [*Norban*]ae *C. l. Primae* | [*amicae*] suae *dónat*. nam nomina propria cum vera reparari nequeant, statim addere libuit quae exemplo essent. difficilius erat alterius versiculi supplementum invenire probabile. hoc equidem soleo discensibus tradere *Eros* [*qui et A*]mor, similem appellationem ex H. Meyersahmi libello p. 30 didici obtigisse homini Bithynio Γάιος Ἰούλιος Ἐρμᾶς ὁ καὶ Μερκούριος.